

LVNÆ DIE 13 M. IVNII A. 2011

Idibus Iuniis a. MMXI

I 6 2

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / glicoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128



## INSVLA LATINA NEOLOVANIENSIS

- *quod incepit latinitati vivæ provehendæ commendant**Iulianus Claeys Boúúaert, Mariola et Odilia Dapsens -*

**O**mnes Melissæ lectores verisimiliter assentientur linguam Latinam, si ei reapse favent, facilius vivo sermone quam mera arte grammatica disci, veluti nunc fieri solet plerisque in scholis. Multi tamen et latinitatis periti quosdam ea colloqui nesciunt nec mente quidem fingere possunt ; si studiorum universitatem petiveris, care lector, cito animadvertes alumnos omnes quippe qui hisce in lyceis studuerint, eam omnino cadaverosam prosecandamque habere, neque plerosque intelligere quonam modo antiqui Romani tali difficillima lingua quotidie uti valuerint. Quid ergo ? Nonnulli valent – summo nempe ingenio prædicti – linguæ notitiam qualem universitatem aggredientibus oportet habere maximo sudore sibi parare, alii vero minore quodam modo doctrina scholas imprimis frequentant, tanta deinde disciplina perstringi sibi videntur ut sermonem Latinum odio plerique habeant spemque deponant et professoribus condiscipulisque sint fere impedimento. Hisce casibus fit ut alumni illi id unum current utrum viridi rubrave debeat linea verbum temporale subducere, neque iam mentem attendere queant eis quæ professores auctoresque tradere conantur.

Nobis est suasum latinitatem quæ viva dicitur posse huic malo mederi : nam discipulis qui loqui et scribere discant non modo iucundius videtur linguæ Latinæ studere, sed etiam facilius ! Nonne omnes magistri et paedagogi qui nunc sunt rectissime monent sermonem quemlibet expedite non posse disci quin verbis et quasi linguæ indole utamur ? Nonne ipsa de causa plerique itinera suspicere solent ut sermonem Anglicum vel Hispanicum in Britannia vel in Hispania exerceant ? Cur una lingua Latina humi iaceret, ab omnibus despacta quod habetur mortua ? At *immortalis* prorsus haberi debet : paucæ enim linguæ ubique et tam diu sunt usurpatæ eisdem pæne exemplaribus semper imitatis.

Oportet confiteri res nunc in meliorem partem evadere ; plures enim in dies et discipuli et magistri et professores toto in orbe terrarum latinitatem vivo quodam more colunt, et hoc etiam in Belgio percipitur. Ut paucis verbis rem expediam, opus est tantum lectori participes institutorum memorare quæ sunt Domus Latina Bruxellensis et Schola Nova et operis fundati quod « Melissa » inscribitur, necnon plures homines præstantes veluti professores Theodericus Sacré et Christianus Laes et velut olim fuit Iosephus IJsewijn.

Neolovanii tamen, qua in urbe universitas admodum clara sita est, nihil adhuc ab alumnis ipsis factum erat ad latinitatem provehendam ; immo multi ex eis parum seduli et supra memoratis tricis imbuti moles-tiam et condiscipulis et professoribus quodam modo

Insula Latina  
Neolovaniensis

afferunt. Ut iam aperiimus, censemus posse eos adiuvare linguam Latinam viva quadam ratione discere, et præsertim eam non omnino mortuam intelligere. Inde spes, amor et studium. Hoc anno insuper plures hac in universitate studemus qui ea loqui didicimus – magistrorum gratia qui in Schola Nova et in Vivario Novo docent – et qui eandem diætam incolere instituimus ; qua facultate nixi consilium inivimus condiscipulos pro virili parte adiuvare. Ita emersa est « Insula Latina », diæta scilicet quam latinitati vivæ dicavimus, auspiciis operis fundati c.n. « Humanitas Europæ ».<sup>1</sup>

Patefacto scopo, quo pacto eum assequamur nunc aperire decet. Cum agatur de adolescentibus qui loqui nondum optime valent, nolumus hactenus sessions quales plerisque in Latine loquentium circulis fiunt agitare. Nam aliquid levius et forte vividius opportunitum duximus condiscipulis proponere, quod et animos delectabit et eis loquendi copiam sæpius præbebit. Ceterum, si qui eorum sessions alias petere voluerint, quo crebrius sermonem Latinum exerceant, poterunt eas optimas quæ in Domo Latina Bruxellensi fiunt alternis mensibus adire. His de causis, cenas apponere potius præstituimus quibus Latine solum hospitibus colloqui liceat. Nam hoc modo unicuique datur occasio loquendi cum amicis de rebus quæ suum studium excitant. Solemus insuper, litterarum memores, Catulli, Horatii vel Ovidii carmina una legere quæ per-

lecta explicataque canimus modis musicis a concinuentium grege vulgatis c.n. Tyrtarion.<sup>2</sup> Nonnumquam fabulas gregatim conscribimus quas in sc̄enam inde producimus ; itaque variisque ludis etiam una delectamur. Cum autem diætam propriam habeamus – et igitur cubicula – libenter etiam hospites per aliquot dies accipimus qui Latino sermoni operam dent ; semestri quidem superiori venerunt quidam ex Italia, Mexico, Rutenia et Lituania, quos potuerunt condiscipuli convenire quibuscumque commercium nonnumquam adhuc Latine servant.

De cenis hactenus appositis hæc narranda sunt : hospites ad quindecim venisse, quorum dimidia pars alumni sunt universitatis, alii vero amici qui sermonem Latinum iam apprime callent – ita enim libram æquamus ne tirones dumtaxat cenæ accumbant. Mirum in modum, talem enim nosmet ipsi non exspectabamus successum, condiscipuli quos invitamus nos rogitant ut cenas illas crebrius apponamus, et studio vel maiore erga latinitatem vivam et litteras flagrare videntur.

Ita fiet – hoc quidem speramus – ut Neolovanii circulum Latine loquentium constituere et conventiculos moderari ad quos latinitatis peritiores professoresque invitabuntur brevi possimus, cum ipsi condiscipuli iam

meliorem linguæ notitiam sibi comparaverint. Si metam hanc consecuti erimus, tantum deerit ut insula Græca condatur !

Si plura de Insula Latina scire cupis :  
rue de la Sarriette, 5/102,  
1348 Louvain-la-neuve  
insula@humanitaseuropæ.eu  
www.humanitaseuropæ.eu. ☎

1. Cui operi fundato præstitutus est hic finis ut studia et res ab Humanistis tradita foveat ac servet. [www.humanitaseuropæ.eu](http://www.humanitaseuropæ.eu)

2. Cuius gregis cantores, in Vivario Novo consociati, plurima carmina Latina modis musicis illustraverunt iucundis ac salsis. Inspicias [www.vivariumnovum.net](http://www.vivariumnovum.net)  
[www.monumentaviaeque.eu/tyrtarion.htm](http://www.monumentaviaeque.eu/tyrtarion.htm)  
<http://www.youtube.com/user/vivariumnovum>



## DIALOGVS MERCVRII ET CATONIS

- *scripsit Daniel Blanchard -**Cato loquitur :*

- Heus tu, Mercuri, quo tam cito tendis ?
- Negotia, ut scis, me toto die occupant.
- Nunquamne otio frueris ? Nonne servos habes, qui res tuas curent ?
- Habeo, oportet autem homines multos visitem, qui ex me auxilium exspectant.
- Audio enim multos esse tibi discipulos in terra, et frequentiores in dies fieri.
- Cupiunt omnes, si sapiunt, negotiari.
- Sapientes immo negotia spernant vilia decet, ut possint tota mente litteris honestisque officiis vacare.
- Sic autem non comparatur homini victus.
- Recte mones. Homines nostræ ætatis plerique victimum ex stipendio accipiunt. Saltem possunt post labores otio frui, et in litteras incumbere. Nonnulli eorum officio funguntur nobili, qui docent, orant, agrum colunt, scribunt, causas dicunt, ægros sanant vel pro patria militant.
- Ex his pecuniam accipiunt, ego autem meliorem fortunam sequentibus me paro.
- Quid melius esse potest quam sua arte ali ?
- Copiam magnam accipere pecuniæ. Pecunia enim omnia emuntur.
- Non tamen virtus, sine qua nihil boni ex vita exspectari potest.
- Si igitur vis filios tuos probos esse, licet sit eis optimus præceptor, si solvere potes ; librique, qui animam ad sapientiam ducunt, raro a librariis gratis conceduntur.
- Ita est : non autem in his rebus opus est magna pecuniæ copia. Cupiditates tamen, quæ ex pecunia ista oriri possunt, multo periculosiores sunt quam famæ. Nonne videmus iuvenes multos qui, relicts studiis bonarum litterarum, negotia ineunt turpia ? Sic enim quosdam vidi, sumptu publico institutos, qui ter aucto pretio (vel etiam pluries, usque ad decies !) frumentum in foris venum dabant, detrimentum facientes magnum concivium suorum. Horrendam impietatem !
- Hoc est principium negotii, aliter non faceres, si dives fieri velles. Præterea, nisi id ipsi fecissent, alii fecissent. Lex est mercatorum.
- Sunt qui, heu, (pudet dicere !) fœnerari profitentur. In pulchris ædibus negotia ista servilia gerunt, necnon domini habentur. Ubi leges ? Si ita me vivente fecisses Romæ, non fur, sed trifur in malam crucem missus esses a iudicibus. Nunc unusquisque fœneratorum istorum extollit se, atque multi student eos æmulare.
- Vide quam sint boni discipuli, quos improbos vocas. A me, qui sum deus, electi sunt. Nonne recte dicuntur flos totius generis humani ?
- Et virtute carentes ? Mori malim, quam eo more in res tam serviles incumbere.
- Facile est tibi dictu, cum iam sis mortuus ! Illi autem, virtutibus meis ornati pugnam vitæ obeunt.

- Quid sibi vult pugna ista ? Numquid eis pugnandum est, quos molles cupiditates regunt ? Quibus solum fastidium est dives natus esse ?
- Deus sum, eos propter ingenium elegi. Gens electa mea sunt.
- Id ipsi sciunt, atque hoc gloriantur interdum publice. Nonne tamen tibi videtur potius maledictionem esse, a te eligi ? Vide et eos, qui propter mendacia, furta, fraudesque quas ex te didicerunt, omnibus invisi a Larvis Eumenidibusque in regno Plutonis sæve cruciatis afficiuntur ! Nos cum diis vivimus, qui virtutem coluimus, eos autem retegit nox æterna.
- Confitore Plutonem plus æmulum meum quam iustum iudicem esse.
- Apollinis fratris tui discipulos non ita punire solet, immo leniter tractat. Invidia ergo causa non est eius tam duri iudicii.
- Pater meus antiquissimas edidit leges, quas nunc mutare non vult, quamquam mea sententia sunt obsoletæ. Sæpe eum rogo, nec vult. Pluto, qui ei paret, easdem leges servat ad discipulos meos iudicandos. Unde eis istud magnum detrimentum atque iniuria.
- Heu ! Nec potuisti eum auro corrumpere ? Sic enim duces humanos incitas, ut creent leges tibi commodas, nonne ?
- Eiusdem farinæ Pluto est atque Charo ille, qui iam innumeris sæculis eodem officio fungitur nemine æmulante, nec unquam voluit pretium navigationis augere. Mente finge quam dives esse possit ! Nebulo autem reluctatur quominus pretium augeat.
- Non ei est, apud quem pecuniam solvat... Quid autem vis emat ?
- Bella hodie sæviora fiunt, unde ei clientes semper numerosiores. Cum hac pecunia, possit ampliores naves sibi emere, societatemve navalem condere, qua possit mortuos ad aliam ripam bono et solidō auro vehere. Sed iste totum negotium spurcat, solus omnia vili pretio curans. Nemo volet aureum dare, dum liceat semiassie fluvium transire.
- Quid de regibus aut superbis ? Nonne cum magna pompa malunt ad inferos vehi ?
- Ut citius ad severum iudicem veniant ? Dubito.
- Charo igitur vos negotiatores damno afficit intollerabili. Sic semper pietas mercatoribus invisa.
- In terra sunt etiam homines qui gratis pueros instituunt, aut homines sanant : sed, crede mihi, leges novas scribemus, ne ultro fiat, et ad carcerem mittantur sacrilegi, qui negotia mea delent. Docebo et iuvenes odisse istos, qui tales mores præbent. Sic tutior orbis, beatoresque gentes. Sine autem abeam. Tu, vaca litteris, qui mortuus spensis negotia : fideles mei me exspectant.
- Florent servi tui dum vivant : ab Olympo enim arcentur. ☩

# DE MARIO VARGAS LLOSA

## LITTERARVM AVCTORE PRÆMIVM NOBELIANVM ADEPTO

*- scripsit Theodericus Sacré -*

Ineunte mense Octobri anni proxime elapsi cum in actis diurnis legerem Marium Vargam Llosam, civem tam Peruvianum quam Hispaniensem eundemque singularem admodum narrandi artificem, Nobeliano esse decoratum præmio, quod ei esset a.d. IV Id. Dec. MMX sollemniter tribuendum, venit mihi in mentem promotionis honoris causa apud Lovanienses factæ : nam abhinc annos VIII præclarus hic vir doctor Lovaniensis est creatus ad honores ; qua occasione data diploma ipsi est redditum, quod ego Latine exaratum atque in Academiæ nostræ tabulario asservatum repperi atque exscripsi.

ANDREAS OOSTERLINCK, FACVLTATIS SCIENTIARVM AD VSVM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIVS, EARVNDEM SCIENTIARVM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRÆSIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PVBLICE CVRANDIS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICÆ LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI ITERVM RECTOR, OMNIBVS PRÆSENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR MARIVS VARGAS LLOSA, PHILOSOPHIÆ ET LITTERARVM DOCTOR, DOCTOR HONORIS CAVSA STVDIORVM VNIVERSITATVM NVMERO HAVD EXIGVARVM VEL IN IPSA EIVS PATRIA QVÆ SVNT SITÆ VEL PEREGRE IN GVATIMALIA, FœDERATIS AMERICÆ SEPTENTRIONALIS CIVITATIBVS, HISPANIA, FRANCOGALLIA, POLYNESIA GALICA, ITALIA, BRITANNIA, AVSTRALIA, ISRAELE, MAGNAILLA ORDINIS SOLIS PERVVIANI CRVCE INSIGNITVS, QVO HONORE MAIOR NON EXTAT APVD PERVVIANOS, ALIISQVE PRÆMIIS DONATVS MVLTIS, ACADEMIÆ REGIÆ HISPANICÆ SOCIVS ALIARVMQVE SOCIETATVM ORNATISSI-MARVM SODALIS, QVASI LVMEN QVODDAM LITTERARVM FVLGEAT VTI MINORA INTER SIDERA SOL, INGENIOQVE ET ARTE PRÆMINEAT IN VARIIS QVÆ EXCOLERE SOLEAT SCRIPTIOMVM GENERIBVS, CETERVM PHILOLOGIA ET NOTITIA, QVAM DE LITTERIS HABET IPSE IMMENSAM, IVVENES STVDIOSOS IMPERTIAT INDEFESSIM ;

CVM CALAMO FELICITER ARREPTO SIVE SVO MARTE AGAT SIVE TACITA VT ITA DICAMVS COLLOQVIA CVM SCRITORIBVS EVROPÆIS QVI SVNT QVIQVE FVERVNT INSTITVT, MORES, CONSVENTDINES MVLTIFORMEQVE AMERICÆ LATINÆ VITAM INGENIOSE INTERPRETETVR EANDEMQUE DILVCIDE, SVBTILITER, VERIDICE EXPRIMAT ITA SCRIBENDO VT OMNIBVS LEGENTIBVS SVB ASPECTVM CADAT IPSA, ATQVE ADEO HAVD PAVCA ILLVSTRET QVÆ IN CIVITATIBVS NOSTRIS FIANT EVROPÆIS ;

CVMQVE ACERRIMVS RERVM IVDEX ET ARBITER IDEMQVE TAM PATRIÆ SVÆ QVAM MVNDI CIVIS A PVBLICIS REBVS NON ABSTINEAT, VERVM RERVM PVBLICARVM EVENTVS PRVENTER OBSERVET, DOMINATIONEM QVAMLIBET VITVPERET, LIBERTATEM DEFENDAT QVÆQVE DE REBVS CIVILIBVS ETHICISVE IPSE SENTIAT PERMVLTS COMMENTATIONIBVS ET ELEGANTER ET PERSVADENTER APERIAT CONSILIARVMQVE PRÆSTET SESE SAGACEM ET FORTEM ;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM  
MARIVM VARGAS LLOSA  
DOCTOREM HONORIS CAVSA CREAVIDMVS ET RENVNTIATIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A REC-  
TORE PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM  
CVRAVIMVS.

LOVANII, ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS ANNI MMIII.

MARCVS VERVENNE  
ALTER A RECTORE  
PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS

ANDREAS OOSTERLINCK  
RECTOR

# DE MARIO VARGAS LLOSA

- pauca refert Francisca Deraedt -

**Q**uantum scio, opera Marii Vargas Llosa nondum sunt in Latinum versa. Quod valde dolendum est ! Quanto enim iucundius est Latine legere, quam linguis istis vernaculis. Quibus tamen indulgeamus oportet, si gemmas gustare volumus huius scriptoris Peruviani, innumeris honoratus præmiis doctoratibusque honoris causa tributis, anno demum 2010 tandem aliquando etiam præmio Nobeliano, quod iam diu meruerat.

Marius Vargas Llosa  
(Arequipæ in Andis 1936 – atque utinam posthac diu floreat ut lectores delectare pergit) omnes virtutes habet, quibus fiunt bullientes fabulae : phantasiam, leporem, ironiam, mordacitatem, facundiam, rhythmum, artem pictoris, humanitatem præcipue. Eius enim narrationes nos in ipsam vitam demergunt, tam in nostram

quam in eam Americæ Latinæ. Eius historiæ sunt sive sociales, sive amatoriæ, aut criminales, historicæ, politicæ, philosophicæ, semper lepidæ et hilaritate plenæ, etsi saepe tristes et crudeles.

Numquamne legistis eius opera ? Tum incohate libro cui titulus est *De matertera et scriptorculo (La tía Julia y el escribidor)* : hac fabula autobiographica non poteritis non delectari. Lepores enim insunt vix dicibiles, quibus miscentur dulcedo vitæ in urbe Lima annis quinquagesimis, iuvenales amores in vetere societate vituperandi, laus litteraturæ et, tamquam cerasus, ut aiunt, in placenta, narratiunculæ scriptorculi paulatim insanientis, in ipsam narrationem arte mirifica insertæ. Auctor hic exemplum secutus est Honorati de Balzac et operis Gustavi Flaubert cui titulus est *Educatio amatoria (l'Éducation sentimentale)*.

Aperite postea *Quis necavit Palominum Molero ?* (¿ Quién mató a Palomino Molero ?). Ubi optio Lituma inquirit in horribilem quandam cædem. Ridebitis tamen libenter, et Peruviæ invenietis vitam intimam, paupertatem, corruptionem, regulas tacitas, ardentes populum.

Eundem optionem iterum invenietis in *Lituma in Andis (Lituma en los Andes)*. Aliud genus, omnino. In hac fabula criminali miscentur diræ condiciones a tro-mocratis impositæ, Andarum pulchritudo, veteres ritus religiosi. Historia politica, admirabilis imago nationis



[www.clubedoslivros.org](http://www.clubedoslivros.org)

ad naufragium vergentis, subest narrationi maxime attractivæ. Hæc fabula vobis de Peruyiæ difficultatibus plura docebit quam centum dissertationes.

Quin adeatis postea *Novercæ laudem (Elogio de la madrastra)* ? In qua immanis describitur crudelitas pueruli, qui faciem præbet angeli perfecti. Opus ceteris multo magis est sulphurosum, sed æque delectabile.

Quid eveniet postea ? Ad bibliopolium curretis quam plurima huius auctoris opera empturi.

Marius autem Vargas Llosa suo tempore pæne factus est, non scriptor, sed miles, si patris voluntatem secutus esset ; illius experientiæ molestas memorias anno 1963 narravit in primo opere *De urbe et canibus (La ciudad y los perros)* inscripto, quo scriptor toti mundo innotuit. Res mira sæculo vicesimo : in aula collegii militaris, de quo agitur, centum libri exemplaria tamquam piaculum combusta sunt !

Autumno præterito Lutetiæ Parisiorum in Domo Americæ Latinæ facta est exhibitio de hoc magno auctore. Quam cum lustraret una cum diurnariis, scriptor, interrogatus de præmio Nobeliano nondum accepto deque Andrea Malraux (1901-1976), qui eadem distinctione frustratus est, ut videtur, ob opiniones politicas, hoc solum respondit : « Scriptori non est de præmio Nobeliano loquendum ; talia stilo nocent ! » Summus tamen honor ei nunc demum tributus est, ut decebat, post tot alios qui eundem plus minusve meruerunt – sed hæc est alia quæstio. ☩

**Mario Vargas Llosa**  
La tante Julia  
et le scribouillard



folio

# DE MYSTERIO ÆCONOMICO

– narrat *Tuomas Nevanlinna, interprete Samio Jansson –*

*Tuomas Nevanlinna est philosophus Finnus, qui banc symbolam Finnice divulgavit in actis diurnis 'Helsingin Sanomat' a.d. VIII Kal. Sept. MMX. Samius Jansson banc symbolam Latine reddens aliquibus verborum ludis Finnicis substituit Latiniores.*

Iam plurimos annos miror hoc, quo obstinanter homines sibi persuadeant se ipsos habere rectas verasque opiniones œconomico-politicas. Quotidie in actis diurnis divulgantur symbolæ, quorum scriptores sedulo sibilantes nuntiant, quomodo simpliciter res œconomicæ possint in ordine poni, si modo politici aliquid de ulla re intellegant. Idem fit etiam supra tabulatum saunaæ.<sup>1</sup> In omni fere comitatu lavantium regnat unanimitas valde clamosa de rei publicæ directione œconomica errata deque illis simplicissimis consiliis, quibus captis ista emendari possit. At illa numquam captum iri – Deam nimirum Stultitiam hanc rem publicam regere.

Ipse numeror inter illos consiliis orbatus, qui in frigidario conquiniscunt sine minimo quidem præsagio, quid sit faciundum de œconomia rei publicæ.

Ac non solum sic. Immo ne quidem valeo apte me applicare ad quotidianum colloquium œconomico-politicum. Hæc res explicatur ea ratione, qua principia publicæ œconomiae mihi obscura manent. Si omnes sibi emunt viliore pretio ac vendunt cariore, certe effectus huius ratiocinationis est hoc, quod nihil crescit et nihil diminuitur? Quæ est illa ima et ultima ratio, quæ efficit divitiarum incrementum? Et qua mensura hoc metitur? Nonne omnes mensuræ sunt proportionales? Sed quomodo, inquam, metiri potest incrementum œconomiae mundanæ?

Caroli Marx *Das Kapital* est unicum dumtaxat opus in quo quæstiones tales umquam tractari vidi. At nemo, ut dici audivi, iam approbat istius operis metaphysicam de valoribus. Et frigidarium ulterius frigescit.

Illi, qui audacter consilia tradunt de œconomia rei publicæ, sibi manifesto persuaserunt œconomiam publicam fungi ut quamlibet machinam, quæ aut recte aut perperam adhiberi potest. Sed œconomia publica est nulla machina. Immo eadem est structura subtilis, quæ nititur ad illud, quid sibi exspectent cives, quibus rebus illi fidem suam tribuant et quomodo se gerat rete relationum internationalium inopinatum.

Secundo, qui consilia œconomica sua in sauna aperente enuntiant, illi simul occultim nobis obtrudunt hanc opinionem quasi veritatem, si modo ista machina recte adhibeatur, hoc omnibus nostrum efficere æquum bonum. Iuvat enim semper recordari Maunonis Koivisto<sup>2</sup> sapientissimum dictum, quod dicit politicam

œconomicam perpetuo pravam permanere. Nam sæpissime quidem fit, ut debeamus nobis exspectare istas famosas panis micas usque ad ultimam mundi metam.

Constat œconomiam publicam non viribus naturæ sponte regi. Constat illam regi a legionibus nationum præpotentium, a lobariis complexum mercatoriorum transnationalium ac haud inique ab iuris consultis. Nihilominus œconomia publica non solum arbitrio istorum geritur. Nihilominus œconomia publica etiam male curari ac plane depravari potest. Insuper mercatus vires nimis radicales renovationes abolere valent. Ubi sic fit, certe fit propter arbitrium politicum. At nihilominus fit.

Quodammodo illud opus *Das Kapital* videtur mihi iterum esse legendum.

Et suadeo tibi, care lector, ut legas opus *Das Kapital*.<sup>3</sup>

1. Finni libenter sauna se lavant una cum amicis et familia, ubi inter alia de rebus politicis colloquuntur.

2. Mauno Koivisto est nonus præsens Finniæ, nunc emeritus, qui munus publicum curavit annis 1981-1994.



# « INFREMVERE OLLÆ GEMITVMQVE DEDERE PATELLÆ » :

DE CATTO SVPPLICIO AFFECTO CARMEN IOCOSVM (1826)

– *scripsit Theodericus Sacré –*

(...) *Me certe nihil pœnitet interdum, cum vel a negotiis vel a studiis aliquid temporis succiditur, æluro, seu mavis felem appellare, blandiri eumque adudentem et festivis rhonchis supparasitantem permulcere.*<sup>1</sup>

**N**eminem esse opinor qui nesciat ad sæculum XIX<sup>um</sup> usque vel etiam iniens XX<sup>um</sup> moris fuisse ut alumni, quotquot in gymnasiis scholisque publicis versarentur, non ita parvum versuum Latinorum numerum nolentes volentes conscriberent. Eorum versuum pars maior fortasse intererit (neque est cur talia conamina vel etiam præexercitamina interissemus graviter doleamus), pars minor, quæ adhuc extat, in variis bibliothecis et scholarum vel medii vel superioris ordinis tabulariis inedita atque sopita, ut sic dicam, quiescit ac delitescit, non experrectura, nisi inter tentamina reperiantur ab eis adulescentibus facta, qui nomen sibi postea confece-rint. Quod cum ita sit, tamen nonnulla id genus poema-tia vivis adulescentibus ac videntibus publici sunt facta iuris ; nam haud secus ac sæculis superioribus in gymnasiis vel Iesuiticis vel aliis non minus præstabilis factum erat, ita etiam sæculo XIX<sup>o</sup> hic illic fiebat ut specimina egregiæ versificationis iuvenilia typis mandarentur, ut haberent adulescentes ipsi quo se doctorum re publica dignos iam esse ostenderent, præcep-tores vero in manu tenerent quo parentibus quibuslibet declararent quos qualesve fructus tirones, si in eam disciplinam convenissent, essent reddituri. Eiusmodi carminum et libellorum poeticorum interdum bilin-guium qui typographis commissi prelisque sunt impositi, mira est apud Belgas paucitas, admirabilis apud Gallos copia ;<sup>2</sup> de ceteris vero gentibus nihil dum ego certi hac in re asseverare ausim, quia mihi litteræ illius sæculi Latinæ parum exploratae parumque perspectæ videntur esse. Parisinum ergo exemplum proferam, quod exeunte anno 1826 in lucem publicam est emis-sum. Id non unus conscripsit alumnus, sed, ut istis temporibus fieri sæpe solebat, globulus adulescentium una emitentium ; qui inter se conversabantur in ‘Instituto Sanctæ Barbaræ, moderante Adolfo de Lanneau’ ;<sup>3</sup> designabatur autem hoc nomine ephebeum quoddam privatum, Parisiis in vico Latino situm, in quo discipuli, etsi interdiu scholas publicas maximam partem frequentabant, non solum mensa et habitatione fruebantur, verum etiam studia repetebant acroasis-busque selectioribus ad humanitatem paulo penitus informabantur. Circa diem divæ Barbaræ sacrum (qui est quartus mensis Decembris) convivio splendido quo-tannis apparato meleagridibusque appositis gallopavo-nibus, cantilenæ ibi festivæ resonabant versusque

publice recitabantur, interdum et typis impressi publi-cabantur.

Quid autem pueris, puellis, tironibus, discipulis magis in deliciis quam animalia domestica ? De catellis ergo alii, alii de aviculis fundebant versiculos vestigiis ingressi Catulli, Ovidii, Statii, aliorum poetarum veterum qui id genus nugis indulserant. De felineo autem genere scripturientibus suppeditabat parvus admodum exemplorum antiquorum numerus, non quo feles Romanis incognitæ essent (id contendentes illico refel-lunt cum picturæ veteres et opera quædam musiva apud Italos adhuc conspicua, tum feles a priscis solutæ orationis auctoribus obiter memoratae), sed quia aureæ ætatis et argenteæ poetis fere alienæ erant, utpote quæ pro animalibus domesticis minus haberentur.<sup>4</sup> Itaque ad inferioris ævi poetas descendas oportet ut feles ibi reperias ; quodsi *Anthologiam Latinam Luxuriumque poetam evolvas*, in epigrammata felinea mox incidas ; in quis est illud de catto e vita misere discidente, quod hunc habet versum : « *Cattus in obscuro cepit pro sorice picam* ».<sup>5</sup> *Anthologiam Latinam* (quibus hæc epigrammata continentur) discipuli ævi recentioris percucurrerint, ambigi potest ; tamen alia forsitan habuerint ad quæ configurerent cum de felibus cuperent poetari ; longum est singula afferre, at exempla paucio-ra e pluribus delecta libare me iuvat. Itaque epigram-matum de felibus aliisque variis ac diversis bestiolis copia *Anthologiam Græcam* evolventibus statim occurrit ; quæ ab Hugone Grotio (1583-1645) aliisve poetis Latine sunt redditæ ; eminent in his epigrammata sepulcralia, quæ septimus habet eorum anthologum non liber, qui inde a litteris renatis plurimorum viro-rum terebatur manibus. Inde fieri puto ut epicedia vel epitaphia in animalia lusa tam sæpe offendamus.<sup>6</sup> Ceterum adulescentes imitandos sibi fortasse propone-bant poetas vernaculos eosque Latine interdum versos : quid enim elegantius eis versibus quos Ioachimus ille Bellaius (1522-1560) de catto mortuo Francogallice lusit, Latine atque insigniter vertit Natalis Stephanus Sanadon e Societate Iesu (1676-1733) ?<sup>7</sup> Neque adules-centes Parisios fefellit esse apolos et fabulas, in qui-bus catti aut locum obtinerent insigniorem aut loquentes inducerentur.<sup>8</sup> Eiusmodi autem apolo-gorum auctor facile princeps atque intra aulas scholasticas tam præceptoribus quam discipulis carus erat Gabriel Faernus, poeta Cremonensis (1510-1561), qui ante Phædri fabulas repertas ac typis (anno 1596) excusas, apolos, depromptis undecumque argumentis, versi-bus inclusit, post viri mortem inde ab anno 1563 mirum quam sæpe editos : in quis non desunt catti.<sup>9</sup> Nec denique veri non est simile, ut alia exempla

Latinitatis recentioris prætermittam, ludicos tironibus innotuisse versus libellulis inclusos quibusdam facetis, quos ego horis subsicivis in gymnasiis aliquibus haud raro lectos esse opinor. In quo numero est illud *Canum cum cattis certamen*, cuius verba singula universa ab eadem littera incipiunt :

Cattorum canimus certamina clara canumque.  
Calliope, concede chelyn, Clariæque Camenæ,  
Condite cum citharis celso condigna cothurno  
Carmina : certantes canibus committite cattos...<sup>10</sup>

Eiusmodi autem poemata, quæ sunt singularia admodum (tautogrammatica interdum vocant viri docti), proxime accedunt ad iocosa carminum heroicorum imitamina sive ad heroico-comica (ita sermone Latino appellat Springhettius)<sup>11</sup> delectationis risusque causa conscripta redolentque quodammodo *Batrachomyomachiam*, carmen dico vetustum in scholis non solum lectitatum, sed etiam Latine redditum atque imitationibus compluribus expressum. Qui ita versus condebat, verba heroa dicendique genus plane epicum adhibebant ad res levissimas canendas, atque id quidem eo consilio ut vel risum moverent,<sup>12</sup> vel mores sui ævi describerent eosve allegorice carperent.<sup>13</sup> Hoc nisi fallo freta exemplari tironum triga Francogallica de felis supplicio, argumento, siqua ipsis fides, minime facta, versus condidit *Æneidos* Vergilianæ incidi redditos, immo e Vergilio sæpe desumptos atque, subauditis locis primigeniis, in res parum heroicas derivatos.<sup>14</sup> Ceterum feles, quas Franciscus Petrarca, humanistarum, qui nuncupantur, antesignanus, sæculo XIV° in deliciis habuisse creditur,<sup>15</sup> sæculo XIX° ineunte nobilitavit denuo Leontius comes de Saint-Geniès, qui *Laudem felis* contexuit, memoravit quanto illa apud Ægyptios fuisse in honore, quibusve dolis, qua perniciitate ac volubilitate præstaret in muribus, acerrimis hostibus, captandis :

Rapido celeres celer impete mures  
Insequeris, qua terror agit, qua devocat error.  
Nulla quies, mora datur, iamque arripis ungue,  
Ore tenes, hostemque trahens prædaque potitus  
Mox ades exsultans, certamine victor anhelo.<sup>16</sup>

Itaque etiam sæculo XIX° ineunte feles dignæ iudicabantur quæ poetis Latinis materiam præberent canendi ; licet inde conicere carmina vernaculis sermonibus scripta et versus lingua Latina effusos mutuis inter se nexibus fuisse coniuncta. Quid igitur mirum, si Carolus Baldelarius, vatum facile princeps et poesis

Latinæ cultor amantissimus, tres minimum de felibus poematia libro illi intersetuit, qui *Les fleurs du mal* Gallice inscribitur ?

Illud vero mirabitur quispiam, quod agitur carmine a tribus poetis recitato de fele generis masculini, cum id genus felineum grammaticis a sermone Latino abhorrire videatur ; cuius rei non fuerunt ignari poetæ Parisienses, qui margini cuiusdam paginæ appingendam curaverunt adnotationem ut se tuerentur : esse lexica quædam quæ feles mares admitterent ; ceterum exempla se secutos Gabrielis Faerni, fabularum scriptoris. Qua in re non sunt mentiti. Namque etsi desunt exempla in *Thesauro linguae Latinæ* et apud Forcellinium, tamen Robertus ille Stephanus in *Thesauro linguae Latinæ* vetustiore (usus sum editione Birriana quæ Basileæ prodiit anno 1740) ‘felem’ nomen esse vel masculinum vel femininum contendit ; et Faernus, scriptor Cremonensis, de muribus et fele apologum cum scriberet, hunc inter alios excogitavit versum : « Hunc vicissim excogitavit *callidus feles dolum* ».<sup>17</sup> Addere me iuvat Fabium Chisium (1599-1667), poetam Senensem, qui ad summi pontificatus fastigium anno 1655 evectus est nomenque Alexandri VII sibi elegit ; nam *Musæ* eius *iuveniles* exhibent elegantissimum poematum hendecasyllabis Catullianis exaratum, quo agitur de fele dono data ; ita autem incipit :

*Festivum tibi dono blandulumque  
Inclusum calatho, puella, felem,  
Quem tu deliciis tuis leporem  
Addas. Parvulus est tenellulusque (...).*<sup>18</sup>

Nec minus Sanandonius, quem dixi, ineunte sæculo XVIII° versionem Bellaianam « *In felem demortuum*, ex Gallico Joachimi Bellæi, carmen choralicum » inscripsit, ceterum animalculum *felem bellulum* dixit (p. 7). Immo Benedictus Christianus Avenarius (° 1739), carminis heroi Theodisci Latinus interpres quem dixi, proœmium ita est orsus :

Ausa atque exhaustos mihi, Musa iocosa, labores  
Et fatum *magni* memora lacrimabile *felis*,  
*Qui nigra Tartareæ* traiecit stagna paludis  
Heroumque instar meruit sub marmore condi.<sup>19</sup>

Rem sane ridiculam fecissent versificatores Parisienses, si, ut Latinitati aureæ obtemperarent, ‘mares’ feles ‘masculasve’ identidem scripsissent ; catti vel gatti vel etiam æluri nomina Latina an ipsis non innotuerint, haud scio. Leontii vero de Saint-Geniès *Laus felis* præter *felis* nomen etiam exhibet vocabula

quæ sunt *catus* (« Nam quis non stupeat, cate, teque tuosque labores ? ») et *ælurus* (« Talis et ælurus. Nunc se implicat ille farina, / seu revolutus humi, trabe seu suspensus ab alta, / exanimum simulat, falso sic gaudia leto / hosti falsa parans »).<sup>20</sup> Talia autem non curavit trias hæc poetica, uno felis verbo contenta. ☩

(continuabitur)



Léonard Foujita (1886-1968), 'Chat endormi'

1. Hæc Cælius Calcagninus (1479-1541) nepoti : cfr. *Cælii Calcagnini Ferrariensis, protonotarii apostolici, opera aliquot (...)* (Basileæ, 1544), p. 13.
2. Cfr. e.g. R. Jalabert – D. Sacré, 'Bibliographie intermédiaire des poètes et versificateurs latins en France au XIXe siècle', *Humanistica Lovaniensia*, 59 (2010), 223-304.
3. Natus anno 1796 ; ab anno 1823 ad 1838 rexit ephebeum, quod pater (nomine Victor de Lanneau) condiderat. Floruerunt ea tempestate duo instituta quæ Sanctæ Barbaræ nomen sibi certatim vindicabant : alterum Victor de Lanneau condiderat emptis pristinis Collegii Sanctæ Barbaræ ædibus quæ erant in Via Remensi ('rue de Reims') ; alterum idque recentius in 'rue des Postes' situm inde ab anno 1821 'Collegii Sanctæ Barbaræ' titulo superbiebat. 'Lycea' autem et 'collegia' 'institutis' et 'ephebeis sive hospitiis' dignitate præstabant. Cfr. J. Quicherat, *Histoire de Sainte-Barbe, Collège, Communauté, Institution*, 3 (Parisiis, 1864) ; Jalabert – Sacré, 'Bibliographie intermédiaire', pp. 226-228.
4. Cfr. e.g. D. Engels, *Classical Cats. The rise and fall of the sacred cat* (Londonii et Novi Eboraci, 1999).
5. Cfr. *Anthologia Latina*, I : *Carmina in codicibus scripta*, I : *Libri Salmasiani aliorumque carmina*, ed. D.R. Shackleton Bailey, *Bibliotheca Teubneriana* (Stutgardia, 1982), num. 171 ; cfr. etiam num. 375 (auctore Luxurio).
6. Ad feles quod attinet, satis sit hæc pauca laudare : Angelus Colotius (1474-1548) epitaphiis compluribus felem suam, nomine Ælurum, donavit (cfr. I.D. Rowland, 'Angelo Colocci's Collections of Epigrams', in S. de Beer, K.A.E. Enenkel, D. Rijser [eds.], *The Neo-Latin Epigram. A Learned and Witty Genre*, Suplementa Humanistica Lovaniensia, 25 [Lovanii, 2009], pp. 325-341) ; Marcus autem Bernhardinus (1622-1663) scripsit *In felem meam a sua gente*

*propter vagos et nocturnos amores disceptam* (cfr. B. Dunsch, 'Professor and Poet in Greifswald. The Latin Epigrams of Marcus Bernhardinus (1622-1663)', in C. Krüger – F. Strauss unter Mitwirkung von D. Goetze [eds.], *Tango del Norte. Festschrift für Walter Baumgartner*, Publikationen des Lehrstuhls für Nordische Geschichte, 7 [Gryphisvaldiae, 2006], pp. 42-56 [pp. 50-52]) ; denique Iohannes Jortin (1698-1770) lusit *Epitaphium felis*, quæ decessit anno 1751, nata annos XIV, menses II, dies IV (cfr. John Gilmore [ed.], *Musaæ Anglicaneæ Anglice redditæ. A Selection of Verse Written in Latin by British Poets of the Eighteenth Century* [Spon End, 2007], pp. 44-45). Multa exempla poematiorum de parvulis plerumque animalibus lusorum Græca, Latina mediævalia et recentiora, Theodisca recentiora et recentissima habet G. Herrlinger, *Totenklage um Tiere in der antiken Dichtung. Mit einem Anhang Byzantinischer, Mittellateinischer und Neuhochdeutscher Tierepikedien*, Tübinger Beiträge zur Altertumswissenschaft, 8 (Stutgardia, 1930), pp. 121-174. Nemo autem dubitat quin longe maior pars eiusmodi carminum de canibus sit scripta : cfr. *An Anthology of Neo-Latin « Dog » Poems, compiled, in part after Caspar Dornau, as a diversion (...)* by Allan Murray Wilson (Cheadle Hulme, 1998) ; J. Papy, 'Lipsius and his dogs. Humanist tradition, iconography and Rubens's four philosophers', *Journal of the Warburg and Courtauld Institutes*, 62 (1999), 167-198. Itaque si quis Dornavii anthologica in manus sumpserit (Caspar Dornavius [Dornau], *Amphitheatrum Sapientiae Socratice Joco-Seriæ. Schauplatz scherz- und ernsthaften Weisheiten*. Neudruck der Ausgabe Hanau 1619, herausgegeben und eingeleitet von Robert Seidel, Texte der Frühen Neuzeit, 1 [Goldbach, 1995]), statim conspicabitur de canibus et catellis textus Latinos permultos (pp. 506-535), de cattis unum (p. 535) eumque ex Italico sermone Latine redditum ; cui accedit Theodori Prodromi (sæc. XII) *felium muriumque pugna*, ab Albano Torino (1498-1550) Latina civitate donata (pp. 15-20). Est hæc autem *Pugna* quasi tragicomœdia quædam, qua narratur quomodo murium exercitus felem hostem aggredi sit ausus muriumque ducibus compluribus occisis tandem « lignum decidens e sublimi tecto / annis vetustis et temporibus putrefactum / percussit ipsam (sc. felem) intra medias scapulas / et nervos fregit ipsius protinus, / et ad inferna cecidit Plutonis. » (p. 20).
- 7. Cfr. *Vers françois et latins sur la mort d'un petit chat* (Parisiis, 1713). Inibi leguntur hæc : « Felium princeps Calinus,/ certa pestis murium,/ quem mori numquam decebat,/ morte victus occidit » (pp. 3-5).
- 8. Cfr. e.g. B.E. Perry, *Aesopica. A series of texts relating to Aesop or ascribed to him or closely connected with the literary tradition that bears his name*, I : *Greek and Latin texts* (Urbanæ, 1952), passim. Maior pars soluta oratione est scripta (*Catus monachus*, *Mus ebria et catus*, *Catus episcopus*, et ita porro), minor numeris astricta (Phædrus vel Phæder dicitur litteris mandasse num. 488, *Aquila, feles et aper*, et num. 546, *Gallus et feles lecticarii*).
- 9. Cfr. *Gabrielis Faerni Cremonensis fabulæ centum ex antiquis auctoribus delectæ carminibusque explicatae*, et eiusdem *carmina varia* (Parmae, 1793), pp. 34-35 (num. 42) et 48 (num. 59). Consulas J.C. Miralles Maldonado, 'Traditio and Imitatio in Faerno's Neo-Latin Fables', *Humanistica Lovaniensia*, 51 (2002), 123-152. Faernum Gallice vertit Carolus ille Perrault (1628-1663) (*Traduction des fables de Faerne* [Parisiis, 1699]). De ipsis Perraulti apologis, qui *Contes* inscribuntur, disserendum hic non est ; at inter eos est celebrerimus ille qui 'Le chat botté' inscribitur ; hunc autem a Francisco Guelmo Iohanne Stanislao Andrieux (1759-1833) Latine versum Melissæ legentibus

mox proponere velim. Etiam Grimmiani apologi cattos interdum afferunt : cf. Sigrides Albert, *Apologi Grimmiani* (Saraviponti, 1988), p. 93 : *De vulpe et catto*. At a proposito aberrarem, si scriptiones omnes enumerare conarer quæ vel hocce novo saeculo vel proxime elapso de cattis in publicum Latine sunt emissæ. At quoniam *Melissæ* legentibus hæc destinantur, non possum non Iohannis Capart inicere mentionem, cuius librum *Makita sive de historia cuiusdam muris tempore pharaonum* Latine vertit Francisca Deraedt (Bruxellæ, 1997) : in quo de cattorum quoque oppido est sermo ; neque amicitiae officio facerem satis, si Davidis Money, collegæ Cantabrigiensis eiusdemque poetæ Latini, silrem poematum acrostichide ornatum, quod *Ad selem Jeaninæ De Landtsbeer* inscribitur (2007).

10. Cfr. *Nugæ venales, sive thesaurus ridendi & jocandi ad gravissimos severissimosque viros, patres melancholicorum conscriptos. Editio ultima auctior & correctior* (Londini, 1741), pp. 325-328 (vv. 1-5). Ceterum ipsum hoc carmen denuo produxit Parisiis anno 1818 : Henri Harder, ‘Combat des chiens et des chats, poème tautogrammatique’, *Hermes Romanus ou Mercure latin*, 4, num. 21 (mense Februario anno 1818), 1017-1018. Henricus Harder, poeta Flenopolitanus (1642-1683), epigrammatum et versuum heroicorum erat auctor.

11. Cfr. Æmilius Springhetti, *Lexicon linguisticae et philologicæ*, Latinitas perennis, VI (Romæ, 1962), pp. 204-205.

12. Eodem fere consilio lucubrata sunt carmina macaronica de felibus, veluti Cæsaris Orsini (1571 - ca. 1640) seu Magistri Stopini *elegia in gattam Rosam a milite imperfectam* ; quæ habet versus hos : « Nam mihi nil superest misero quam plangere acerbum / atque tuae semper giornum maledicere mortis, / qui quoque me faceret dilectam perdere vitam, / ni me vindictæ vivum speranza teneret. » Cfr. e.g. *Magistri Stopini poetæ Ponzanensis Capriccia macaronica cum nova appendice* (Florentiæ, 1819), pp. 104-111 (p. 111).

13. Itaque id genus carminum scribentibus sæpe ante oculos obversabatur Phædrus vel Phæder, vel satira illa Horatiana (libri posterioris sexta) de mure rustico et mure urbano, vel etiam *Culex Vergilianus dicam an pseudo-Vergilianus*, quo sese totiens purgant poetæ ad levicula argumenta descendentes. Nam *Culex* et hic *Cattus* versuum genere inter se coniunguntur ; huc accedit quod utroque carmine homines bestiolis infesti depinguntur atque animalculorum mortes describuntur.

14. Extabant etiam vernacula eiusdem farinæ carmina, quæ Latine interdum sunt conversa ; nam, ut exemplum ponam, prodierat anno 1757 Friderici Gulielmi Zachariæ (1726-1777) carmen heroicomicum de felibus, cui titulus *Theodiscus Murner in der Hölle. Ein scherhaftes Heldengedicht*, quod Benedictus Christianus Avenarius versibus Latinis redditum *Æluriada. Epos iocosum* (Brunsvigæ, 1771) inscripsit ; gustum ut habeas, lector, ecce aliquot versus :

« Ecce autem tecto Ælurus sese arduus infert./ Vasta pererrarat tota granaria nocte, / ac populosa diu grassatus in agmina, mures, / proluerat crudo dentatas sanguine fauces / luxurians, stragisque ruens resupinis acervos, / horrea rugitu vixor concusserat acri. » (cfr. S.M. Schreiner, ‘Die komische Seite der Wissenschaftlichkeit : Avenarius’ *Ælurias*, die neulateinische Übersetzung von Zachariæs *Murner in der Hölle*, in R. Schnur, P. Galand-Hallyn, A. Iurilli, C. Kallendorf, J. Pascual Barea, G.H. Tucker, H. Wiegand [eds.], *Acta conventus neo-Latini Bonnensis. Proceedings of the Twelfth International Congress of Neo-Latin Studies Bonn 3-9 August 2003*, Medieval and Renaissance Texts and Studies, 315 [Tempe, 2006], pp. 747-758 [p. 756]).

15. In villa eius Arquadiana feles etiamnunc quædam ostenditur, quam cum vir quidam saeculo XVI condidam curaverit, erret si quis Petrarcae ipsius fuisse delicium credit. Addita sunt epigrammatia duo ab Antonio Quærenço (1546-1638) excogitata ; totius autem operis imagines in interrete facile reperiuntur ; epigrammatia satis nota atque admodum elegantia denuo divulgavit Iacobus Philippus Tomasinus Patavinus (1595-1655), *Petrarcha redivivus, integrum poetæ celeberrimi vitam iconibus ære cælatis exhibens* (...) (Patavii, ed. alt., 1650), p. 127. Ecce verba prioris epigrammati (loquitur autem ipsa feles) : « Etruscus gemino vates exarsit amore : / maximus ignis ego, Laura secundus erat. / Quid rides ? Divinæ illam si gratia formæ, / me dignam eximio [me dignum tantum Tomasinus] fecit amante fides. / Si numeros geniumque sacris dedit illa libellis, / causa ego ne sœvis muribus esca forent. » Cfr. etiam J.B. Trapp, ‘Homage to Petrarch as Humanist Saint : Peregrinatio litterarum ergo’, *Moreana*, 35 (1998), num. 135-136, 233-243 (p. 241) ; non vidimus A. Aurnhammer, *Petrarcas Katze : die Geschichte des kätzischen Petrarkismus* (Heidelbergæ, 2005).

16. Cfr. Léonce de Saint-Geniès, ‘L’Éloge du chat’, *Hermes Romanus ou Mercure latin*, 3, num. 15 (mense Augusto anno 1817), 749-751 (p. 750). Tribus fere post annis Carolus ille Sainte-Beuve (1804-1869) non invenustum scripsit carmen de duabus felibus (*felina gemini de stirpe sodales* dicuntur, itaque facile erat poetæ cattos mares reliquo carmine tractare) ; quod ineditum mansit dum anno 1949 a P. Moreau est divulgatum : cfr. D. Sacré, ‘Les chats’. Een spelerei van Sainte-Beuve’, *Kleio*, N.R. 22 (1992-1993), 164-175 – quas autem emendationes ibi proposui, eas omnino ignorat G. Marconi, *Sainte-Beuve e de Musset latini*, *Scriptores Latini*, 25 (Pisis, Romæ, 2009), pp. 62-111.

17. Gabrielis Faerni Cremonensis *Fabulæ centum ex antiquis auctoribus delectæ carminibusque explicatae, et eisdem carmina varia* (Parmæ, 1793), p. 48 (num. LIX : *Mures, et feles*).

18. Cfr. Fabio Chigi, *Philomathis Musæ Juveniles. Des Philomathus Jugendgedichte*, I : *Faksimile der Ausgabe Paris 1656 mit der Übersetzung von Hermann Hugenroth* (Coloniæ, Vimariæ, Vindobonæ, 1999), pp. 274-277 (num. LXIX) : *Felis*.

19. Cfr. Schreiner, ‘Die komische Seite’, p. 753.

20. ‘L’Éloge du chat’ (pp. 750 et 751).

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XV)

## ADVENIVNT CRVCIGERI

*- scripsit Gaius Licoppe -*

**A**lexius I Comnenus (1081-1118), cum Imperium in maximo discrimine esse videat, throno potitur et Nicephorum III in monasterium relegat. Is vir ingeniosus et subtilis, optimus strategus, callidus rerum extra-nearum tractator bonusque administrator, idoneus est ad Imperium restaurandum post triginta annos anarchiae et bellorum civilium. In eius autem regno, uno ex longissimis historiæ Byzantinæ (37 annorum), tot eveniunt res magni momenti totque fiunt mutationes, ut paucis verbis vix contrahi possit.

Imprimis vivit tempore, quo nonnullæ familiæ ingentia prædia possidentes præpotentes factæ sunt et throno potiri cupiunt; hæc est præcipua causa præcedentium bellorum civilium; una ex his familiis est Comnena. Ipse uxorem duxit Irenam, cuius familia Doukas omnium potentissima est.

Cum incohatur Alexii I regnum, tota fere Asia Minor est in Turcorum Seldiucidarum dicione; anno 1078 eorum sultanus Nicæam prope Propontidem elegit ut sui regni caput. In regiones Balcanicas irrumpunt Normanni, duce Roberto Guiscardo, et Turci Petseneci; Slavi Serbiæ et Dalmatiæ secessionem fecerunt. Cilicia, quam nunc magis magisque incolunt advenæ Armenii, fere sui iuris facta est ac regulorum rixis perturbatur.

Propter amissam Asiam Minorem, ærarium magnam vectigalium partem perdidit. Quæ difficultas Alexio I est sine mora curanda. Vectigalia augmentur ad maximum tolerabile nec pauca Ecclesiæ nobiliumque bona confiscantur. Pretium nummorum minuitur, quod primum fit ex septem sæculis. Præsertim maxima emolumenta commercialia Venetiis conceduntur; quod cum non fiat sine maximo detimento ipsius Imperii commercii, in futurum effectus habebit pessimos; in præsenti tamen hoc pacto Imperium fruitur auxilio potentis Venetorum classis. His dispositionibus Alexius I valet verum exercitum et classem reficere, quin etiam sumptuosam aulam sustentare.

Tot sunt hostes circa Imperium, ut Alexius I nesciat in quem se imprimis invehat. Cum apud Seldiucidas tunc sint rixæ intestinæ, statuit Robertum Guiscardum aggredi, qui Dyrrachium obsidet. Bellum fit terra marique; Normanni bis vincuntur a classe Venetorum, sed bis etiam vincunt Alexii I exercitum ac Dyrrachio potiuntur; sic eis patet via Egnatia, quæ Thessalonicam et Constantinopolin dicit. Omnia huius ancipitis belli eventa hic narrare longum est; satis est scire finem factum esse anno 1085 morte Roberti Guiscardi.

Ad Turcos nunc. Opus re vera est ingens; tota fere Asia Minor est in dicione Seldiucidarum et ibi vagan-

tur nomades Turcorum tribus, quæ agris cultis substituunt prata pecore ovillo caprinoque apta; Trapezus sola manet Byzantina. Alexius potius quam bello utitur arte diplomatica: « divide et impera ». Attamen, quamquam non desunt rixæ inter multos Seldiucidarum duces, vix quicquam territorii perdit recuperare valet.

Certamen contra Seldiucidas anno 1086 interrumptur, quia oportet contra Petsenecos bellare, qui in Thraciam irruptionem fecerunt, arcessiti, ut videtur, ab hæreticis Paulicianis.<sup>1</sup> Annis 1086 et 1087 Byzantini vincuntur et Thracia amittitur. At inter victores, Petsenecos eorumque socios Cumanos,<sup>2</sup> de spoliis distribuendis oritur discordia, qua Alexius I astute uititur ad eos dividendos. Bellum tamen non est finitum: anno 1091 Petseneci Chersoneso Thracia (v. *Gallipoli*) potiuntur, qua sola Hellesponto (v. *Dardanelles*) a Seldiucidis separantur; bellum societas inter hos duos hostes esset Imperio periculum mortiferum. Hæc tamen societas non fit, propter intestinas Seldiucidarum divisiones Alexiique I astutiam, qui Cumanos valet a Petsnecis dissociare et sibi conciliare; una cum eis Petsenecos anno 1095 profligat in pœlio ad collem *Lebounion*; tanta est captivorum frequentia, ut Byzantini rebellionem timentes magnam eorum partem trucident.

Quamquam Imperii limes septentrionalis pacatus est, Alexius I ibi debet magnum exercitum collocare, ita ut non satis multæ copiæ relinquantur ad gerendum bellum contra Seldiucidas. Quare de auxilio ab Occidentalibus sive Latinis petendo cogitat. Commercium cum eis primum difficile est; nam papa Gregorius VII Nicephorum III excommunicavit, quæ excommunicatio etiam valet pro Alexio I. Gregorio VII anno 1085 vita functo, papa Urbanus II, anno 1088 electus, qui bonam consuetudinem cum christianis orientalibus iterum iungere cupit, excommunicationem sollemniter tollit coram Alexii I legatis. Ut hanc reconciliationem sibi necessariam adipiscatur, Basileus clerum ritus Græci in Italia deserit; Urbanus II autem de controversiis theologicis disputare omittit. Sic fit ut legati Byzantini concilium Placentiam anno 1095 convocatum participant. Hi legati Turcorum periculum expnunt monentque Turcos, magis quam antea Arabes, molestos esse peregrinis, qui Terram Sacram et Hierosolyma adeunt; petunt ut Occidentales Imperium adiuvent ad recuperandas regiones perditas.

Papa Urbanus II, his verbis valde commotus, Christi fideles hortatur, ut Alexio I succurrant. Eodem anno, papa, origine Francogallus, Francogalliam petit<sup>3</sup> et concilium iterum convocat Claromontem (v.

*Clermont-Ferrand*). Iam non solum de militibus ad Alexium I mittendis cogitat, sed de « bello sancto » in Oriente gerendo contra mahumetanos, qui iam receidunt ex Hispania et Sicilia. Christianos hortatur ut contra Turcos auxilium ferant Imperio Byzantino et loca sacra Palæstinæ liberent. Hæc hortatio mirum in modum succedit : permulti vovent se Hierosolyma armatos petituros esse seque cruce signant. Notandum est papam Gregorium VII idem consilium iam cepisse post cladem a Byzantinis ad *Mantzikert* acceptam, a quo destitit postquam Michael VII depositus est.

Dum hæc in Occidente aguntur, Alexius I Cumanos profligat, unde sequitur longa tranquillitas ad septentrionalem Imperii limitem. Anno autem 1096 inexpectatis nuntiis sollicitatur ; non enim Constantinopolin petunt parvi militum greges, quos suo exercitu facile possit commiscere, sed quattuor exercitus ; insuper magna plebeia turba nobiles eorumque milites præcedit. Ne advenæ direptiones faciant, Alexius I curat ne victu in itinere careant et eis obviam caute mittit militum turmas, qui eos in via contineant.

Primus exercitus e Lotharingis constans iter facit per Germaniam et regiones Balcanicas, ducibus Godefrido Bullionensi et Balduino Bononiensi.

Secundus exercitus, qui e Francogallis meridionalibus constat, per Italiam septentrionalem, Serbiā et Macedoniam ducitur a Raimundo de Sancto Aegidio.

Ceteri Francogalli faciunt tertium exercitum, qui totam Italiam traducit ac navibus ad Epirum vehitur ; inter eius duces est Robertus Flandrensis.

Ex Italiae Normannis constat quartus exercitus. Cum Alexius I comperit eum in Epirum esse expositum, ducibus Bohemundo Tarentino et Tancredo de Altavilla, valde timet ne hi in animo habeant Constantinopoli potiri ; nam nonnullis annis ante iste Bohemundus una cum Roberto Guiscardo Dyrrachium expugnavit iamque secundum viam Egnatiam iter faciebat Constantinopolin obsessurus ; feliciter, Roberto Guiscardo necopinanter mortuo, ab incepto destitut.

Alexius I ab Occidentalibus auxilium petivit ad recuperandas Imperii partes amissas, sed nunc nescit qualia sint crucigerorum vera consilia. Statuit ergo ab omnibus ducibus exigere ut sacramento dicant se Imperio restituturos esse omnes terras, quas occupaverunt Turci, et, si plures expugnantur, eas habituros ut Imperio subiectas.

Mense Augusto anni 1096 sub mœnia Constantinopolis advenit turba plebeiorum. Alexius I eis primum suadet ut ceteros exspectent, tum, cum pessime se gerant, eos in Asiam traducit atque in oppidum

*Kibotos* collocat. Ibi tamen manere nolentes Nicæamque progredientes a Turcis exterminantur, qui eorum ossibus erigunt magnam pyramidem.

Unus post alterum Constantinopolin adveniunt quattuor exercitus. Non omnes duces iusiurandum libenter dant in verba Alexii I ; Normanni recusant ; Bohemundus Tarentinus non vult, nisi fiat summus dux expeditionis in Asiam, id quod fieri non potest, et Tancredus de Altavilla in Asiam clanculum transit. Alexius I ergo crucigeris non confidit.

Quattuor crucigerorum exercitus coniuncti, una cum Byzantino exercitu, primum Nicæam obsident. Cum instet expugnatio, Turci ditionem Byzantinis faciunt mense Iunio a. 1097. Crucigeri, qui Imperii vexillum supra urbem fluitans stupentes adspexerunt, mirantur Byzantinorum secretam de ditione actionem et inde diffidunt Alexii I consiliis.

Crucigeri iter pergunt per Asiam Minorem, in duo agmina divisi. Cum Dorylaeo appropinquit agmen, quod dicit Bohemundus, necopinato impugnatur a maxima Turcorum turba. Victi essent crucigeri, nisi Bohemundus auxilium alterius agminis temporis petivisset. Godefridus accurrit et Turci fugantur (m. Iulio 1097) ; nunc patet via ad excelsam planitiem Asiae Minoris. Crucigeri Iconium petunt, quod Turci reliquerunt, et pergunt usque Heracleam, ubi Turcos aggrediuntur et fugant. Quamquam exercitus famem et sitim patitur multique equi pereunt, crucigeri per Tauri Pylas intrant in Ciliciam, ubi ab Armeniis bene accipiuntur.

Alexius I, recuperata Nicæa, Turcos a crucigeris semper victos gradatim expellere valet ex Asia Minore : totum litus Ponti Euxini et maris Ægei iterum redigit in dicionem suam.

Crucigeri mense Octobri anni 1097 Antiochiam perveniunt, quam Turci anno 1085 a Byzantinis ceperant. Urbem obsidere incipiunt instrumentis a classe Genuensi allatis. Quamquam Turcos bis vincunt, subsidiis scilicet primum Damasco, deinde Berœa (v. *Alep*) missis, eorum animus paulatim debilitatur ; multi deficiunt ; discedit etiam dux legionis Byzantinæ, quem crucigeri arbitrantur cum obsessis de urbe tradenda secreto agere. Tunc Bohemundus suadet, ut urbs sibi, non Imperatori, tradatur, si primus in eam irrumpit et mense Iunio valet urbem intrare, populo conscio. Crucigerorum tamen condicio in urbe est incommoda ; Turcorum enim præsidium adhuc tenet arcem et sub mœnia advenerunt nova Turcorum subsidia.

Alexius I, exercitum ad Antiochiam ducens, prope Philomelium occurrit fugitivis, qui eum certiore faciunt de rebus Antiochiæ gestis ; hi putant crucigero-

rum exercitum a Turcis extinctum esse. Quibus auditis, Alexius I, Turcos victoria excitatos timens, exercitus cursum in septentriones deflectit. Sed res aliter eveniunt; Bohemundus enim Turcos profligare valet Antiochiamque sibi attribuit; cui rei solus non assentitur Raimundus de Sancto Āegidio, qui iusurandum in Alexii I verba violare non vult; ceteri vero se iam non habent adstrictos, cum Alexius I suis vassalis non succurrerit.

Hic incohatur divertium inter crucigeros et Byzantinos. Nonnulli duces id faciunt quod in animo iam habebant, cum se cruce signaverunt: feudum scilicet modo Medii Āevi occidentalis sibi comparant. Balduinus Bononiensis Edessae comitatum creat, dum Bohemundus Tarentinus et Raimundus de Sancto Āegidio de Antiochiā possessione rixari pergit. His rebus gestis monstratur Occidentales nondum deposuisse funestam mentem feudalitatis, qua singuli duces malunt territorium etsi parvum in sua sola dicione habere, quam vires magni imperii fulcire. Crucigeri fortuito possunt feuda in Syria et Palæstina constitutre, quia califatus Arabicus et imperium Turcorum Seldiucidarum tunc bellis intestinis debilitantur, sed statim ac mahumetanorum vires restituentur, ut e.g. a Saladino fiet, parva feuda resistere non valebunt.


Non ante mensem Ianuarium anni 1099 crucigerorum exercitus iter pergit Hierosolyma petiturus. Transit complures Arabicos emiratus Turcorum vassalos, qui non obstant. Crucigeri Bethleem intrant mense Iunio ac statim post Hierosolyma obsident. Urbs bene munita subsidia exspectat ex Āgypto. Obsidentes carent aqua, ligno et armis; insuper non satis frequentes sunt, quam ut totam urbem circumdcent. Expeditio in Samariam et adventus classis Genuensis in portum Loppes (v. Jaffa) necessaria afferunt ad machinas conficiendas.

Ut pateat cruciatam expeditionem sacram esse peregrinationem, fiunt ieunia et pompa circum urbem. Post difficilem impugnationem duorum dierum Hierosolyma medio mense Iulio expugnantur. Franci chronicorum scriptores incolarum cædem in urbe capta modo Apocalypsis narrant; mahumetani quoque scriptores de magna incolarum cæde locuti sunt, ut orbem Arabicum contra crucigeros consociarent, sed e certis fontibus Arabicis<sup>4</sup> appetat mahumetanos Iudeosque incolas ex urbe solum esse expulsos.

Alexius I spem non deponit Antiochiæ recuperandæ. Longum est omnia eius Bohemundique gesta narrare. Dicendum tamen est Bohemundum in Italiam revertisse; ibi e Normannis exercitum colligit et palam adfirmat Alexium I crucigeros prodidisse. Talia verba

libenter audiuntur in Occidente, quare a papa Paschale II facile accipit licentiam cruciatam expeditiōnem contra imperium Byzantium ducendi. Sic gradatim crescit odium inter Occidentales et Orientales. Bohemundus anno 1107 exercitum in Epirum exponit et Dyrrachium obsidet, sed expeditio mox fit magna clades, Venetiis Alexium I iuvantibus.

Denique anno 1108 foedere de Deaboli vocato Bohemundus se tandem agnoscit Imperii vassalum.



*Mappa Francorum feudorum in Oriente anno 1102.*

- A : Comitatus Edessæ
- B : Principatus Antiochiæ
- C : Comitatus Tarti
- D : Regnum Hierosolymitorum
- E : Cilicia Armeniaca
- 1 : Hierosolyma
- 2 : Damascus
- 3 : Tartus
- 4 : Tripolis
- 5 : Antiochia
- 6 : Berœa
- 7 : Edessa

Alexius I tamen numquam recuperabit Antiochiam et Syriam septentrionalem. Tancredus enim de Altavilla, qui iam decem fere annos Antiochiam regit et ibi versari non desit, foedus flocci facit. Francorum principatus in Oriente sui iuris manebunt ; non recusaverunt fictam regni Hierosolymitani dicionem, numquam vero Imperii, sed hæc est alia historia hic non tractanda.

Relinquimus ergo crucigeros, quorum multi, perso-  
luto voto, in patriam redeunt, et redimus ad  
Imperium. Ab anno 1099 maritimæ civitates Pisana et  
Genuensis non desierunt Imperii litora diripere.  
Insuper Pisani auxilium Normannis tulerunt contra  
Alexium I. Is ergo ad pacem faciendam Pisis anno 1111  
privilegia commercialia in Imperio dat ; hoc pacto eæ  
civitates Imperii vassalæ fiunt atque agnoscent totum  
litus a Dalmatia usque Alexandriam pertinere ad  
Imperium. Mentio Alexandriæ monstrat Imperium non  
desperare de Ægypto aliquando recuperanda.

Eodem tempore Alexius I conatur bonam consuetu-  
dinem restituere cum Ecclesia Romana, sed frustra ;  
prima enim condicio papæ Paschalis II est ut primatus  
papæ Romani in toto orbe christiano agnoscat, quod  
vehementer respuitur a clero populoque Byzantino.

Bellum contra Turcos in Asia Minore numquam est  
finitum. Quamquam anno 1116 in prælio ad  
Philomelion commisso Byzantini victores evadunt et  
occidentalem Asiæ Minoris partem servant, impedire  
vix possunt ne vagantes Turcorum catervæ agros vas-  
tent ad pecora pascenda.

Tunc temporis hæreses maxime florent, quæ descri-  
buntur in « Panoplia dogmatica » ab Euthymio  
Zigabenes iussu Alexii I conscripta ; frequentiores  
hæretici sunt Bogomiles et Pauliniani. Ipse ortho-  
doxiām respiciendam multum curat. Quidam Basilius,  
Bogomilium Constantinopolitanorum dux, condemna-  
tur et in hippodromo vivus comburitur. Cum  
Paulinianis mitius agit Alexius I, qui cum eis de theo-  
logia disputat. Cleri mores conatur facere meliores, sed  
cæsaro-papismum firmiter restituit.

Medio undecimo sæculo, regnante Constantino IX  
Monomacho, reformata est universitas Constantino-  
politana litteræque florere coeperunt. Societas  
Byzantina videtur tunc in eo fuisse, ut Antiquitatem  
iterum detegeret atque ad eius philosophiam rationa-  
lem inclinaretur, ut fiet in Occidente exeunte tertio  
decimo sæculo. Infeliciter hoc Renascentiæ initium  
frangit Alexius I, cum artam orthodoxiam imponere  
velit. Optimum exemplum huius mentis est lis  
Iohanni Italos illata (1082). Ille vir, Normannus natio-  
ne, videtur in Italia natus esse ; optima studia fecit in  
universitate Constantinopolitana et proximus factus est

a Michaele Psellos, cui successit ut « consul philoso-  
phorum ». Ei obiicitur quod Antiquitatis mentem phi-  
losophicam, Aristotelis præcipue, in suam institutio-  
nem introducere vult. Patriarcha et Sanctæ Sophiæ cle-  
rus initio dubitant, sed plebs ei infesta est et Alexius I  
statuit eum condemnare et in exsilium mittere.

Commercium Imperii cum Occidente non solum  
illustratur exemplo Iohannis Italos, sed etiam præsen-  
tia complurium Occidentalium, qui munere funguntur  
in aula.

Alexius I iam anno 1092 filium Iohannem throno  
consociavit. Cum anno 1118 est in articulo mortis, eius  
soror Anna conatur Iohannem removere et thronum  
suo marito Nicephoro Bryenne tradere, sed incassum.

Sic finitur longum regnum Alexii I, qui indefessis  
conatibus magnam partem Imperii potentiam restituere  
valuit. ☩

---

1. Hæc secta septimo sæculo in Asia Minore orta redolet manicheismum et ab ecclesia orthodoxa habetur ut hæretica. Reiiciunt clerum, crucem, sanctos, matrimonium, liturgiam ecclesiarum Græce et Romanæ. Eucharistiam respunt, sed extollunt Sacrae Scripturæ lectionem interiore, meditationem et preces. Nono sæculo constituerunt civitatem militarem Imperio Byzantino infestam ; qua anno 878 expugnata, sectatores dispersi sunt usque in regiones Balcanicas ; sæpe passi sunt persecutionem.

2. Cumani sunt alia Turcorum tribus.

3. Tunc temporis « Rixa de Investituris », quæ ab historicis duodecimi sæculi vocatur « Discidium inter sacerdotium et regnum », nondum est finita. Incohata inter papam Gregorium VII et imperatorem Germanicum Henricum IV, permanet inter eum et papam Urbanum II ; quare is Francogalliam potius petit quam Sanctum Imperium.

4. Jean Richard, *Histoire des Croisades*, Paris, Fayard, 1996 : quæ scripta Cairi inventa sunt in vico Iudaico.

## NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (VIII)

*- quod legendum proponit Francisca Deraedt -*

**N**e plura, bone lector : opus Ludovici Holberg tam fecundum est, tam lepidum et nitidum, ut exempla hic a nonnullis mensibus proposita te necessario inducant – saltem spero – ad totam rem legendam : delectaberis. Opus autem in interreti facile invenitur.

Ut finem faciam exemplorum prolatorum, paginam hodie propono, qua Nicolai narratur reditus ad patriam. Interea Klimius, in civitate Martinia nobilitatus ob capillamentorum sive peruccarum inventionem, Syndici uxoris invitum rapuit cor. Postquam hunc amorem quam cautissime recusavit, a furenti muliere, ut exspectandum erat, insimulatur corruptelæ, in carcerem conicitur, nobilitatis titulo privatur, moxque in navigium publicum mittitur ut servus, hac sola consolatione fretus, quod novas extraordinariæ res iterum est visurus. Sequere eum, lector, tuo Marte, et invenies sirenes, civitatem picarum, terram musicam, Pyglossiam, terram cuius incolæ sunt e glacie facti, Mezendoriam, Quamam ubi Klimius ex imo ad summum locum elatus fiet rex et imperator sub titulo « Nicolai Magni, Solis Legati », postea autem tyrannus omnibus odiosus. Denique rebus eversis, profugus in aliquo antro latens, subito tamquam fulmine ictus per tenebras fertur usque dum, ut gyrus perficiatur, in eundem locum proicitur unde ante duodecim annos præcipitatus mundum invenit subterraneum :

« Descendere<sup>1</sup> igitur de monte per asperum istum et angustum callem, qui in Sandvicum ducit, conabar. (...) »

« Postquam medium itineris emensus eram, pueros quosdam in conspectu habui, quos nutu ad me invitans, opem eorum implorabam his verbis : *Ieru Pikal Salim*, id quod lingua Quamitica denotat : monstrate mihi semitam. At pueri ad visum hominis vestibus peregrinis amicti ac pileum radiis solaribus fulgentem gestantis, trepidantes, edito horrendo clamore, e rupibus se præcipitant, adeo ut tardius me incidentem ac per rupium fragmenta saucios pedes trahentem occupent, horaque citius in Sandvicum veniant, ubi totum vicum terrore complent, sancte iurantes, vidisse se inter rupes errantem sutorum Hierosolymitanum, solaribus radiis coruscum et crebris suspiriis vulnus animi prodentem. Quærentibus paganis, unde scirent sutorum esse Hierosolymitanum, respondebant me ipsum nomen et patriam indicasse. Errorem hunc natum coniebam e male intellectis verbis *Ieru Pikal Salim*. Totus hinc vicus commovetur, nemine de rei veritate dubitante, maxime cum nuper recocta esset fabula de isto ambulante sutori, idemque diceretur non ita pridem Hamburgi apparuisse.

« Inclinante ad vesperam die, cum ipse Sandvicum venerim, conglobatos in unum conspicabar totius tractus incolas, quos insitum mortalibus studium inusitata

noscendi undique exciverat. Hi novum hospitem excepturi, ad radices montium diu suspensi steterant, statim vero ac loquentem me audirent, panico quasi terrore perciti, diffugiunt omnes, præter unum senem, qui ceteris audacior loco non movit. Hunc mox alioquor, rogans, velletne hospitio errantem excipere. (...) »

« Admissus intra tecti limina, frigidam posco, qua sitim depellerem. Ipse mihi mox poculum zytho plenum affert, cum nec uxor, nec ancillæ præ metu adesse sint ausæ. Exhausto poculo ac sitis ardore sedato, ita loqui exorsus sum : Vides hic hominem, diris iactatum procellis ac tot fortunæ ludibria, quot nemo mortalium umquam subierit, expertum. (...) »

« Ad hæc regessit hospes, sortem hanc esse diu errantium : quot enim vicissitudines, quot casus mille et sexcentorum annorum peregrinatio non pariat ? Non cepi mentem illius, quocirca rogabam, quid per istos mille et sexcentos annos sibi vellet. Si fides, inquit ille, historiis sit adhibenda, iam mille et sexcenti anni sunt, ex quibus deleta fuit Hierosolyma, non dubito, vir summe venerabilis, quin tempore istius excidii ætate iam provector fueris : nam si ista, quæ de te narrantur, vera sint, possunt natales tui ad principatum Tiberii referri. His dictis, obmutui, senem delirare putans, moxque indicavi huic orationi Cœdipo opus esse coniectore. »

« At affert ille tabulam, in qua expressa erat imago Templi Hierosolymitani, rogans, ecquid multum ab archetypo aberret pictura. Hinc in summo meo dolore a risu non temperans, causam perplexi adeo sermonis rogo. Respondet ille : Utrum in errore verser necne, ignoro. Testantur huius loci incolæ, te esse illum in historiis decantatum sutorem Hierosolymitanum, qui a Christi tempore totum orbem pererras. At, quo attenius te intueor, eo magis ad animum revoco veterem amicum, qui duodecim abhinc annis in apice huius montis periit.

« Ad hæc verba dissipata oculorum caligine, veterem meum amicum Abelinum, cuius domum Bergis sæpe frequentaveram, agnosco. In implexus mox ruo, collumque ipsius ambobus lacertis invadens, Teneone te, inquam, Abeline ! vix hoc iam oculis meis, vix manibus credo : vides iam Klimium tuum, ex orco redeuntem ; idem sum, qui ante hos duodecim annos in cavernam præceps iverim. Ille insperato hoc phænomeno confusus, *Non aliter stupuit, quam qui Iovis ignibus ictus Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ...* »<sup>2</sup> ☩

1. Textus, qui hic proponitur, excerptus est e libro sexto decimo operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

2. Ov., Tr., I, 3, 11-12.

# BIBLIA SACRA – OPVS ÆNIGMATICVM

– *scripsit Ericus Palmén* –

**P**rimum quidem Iohanni van Kasteel et Godoni Lieberg summas ago gratias, quod in fasciculo Melissæ 160 / 14.2.2011 (p. 11-13) tanta diligentia in commentationem meam ad duos illos locos Evangelii Nataliciorum pertinentem (Melissa 159 / 20.12.2010, p. 5-6) incubuerunt. Id ipsum aliquos facturos iam eam scribens speraveram; libenter enim concedo meam et linguae Græcae et Bibliorum Sacrorum – ut de lingua Hebraica taceam – peritiam admodum mancam esse. Complures loci a viris illis doctissimis prolati, quibus nisi sententias suas tuentur, haud paulum lucis in rem afferunt.

Exordior e posteriore locorum a me examinatorum (Luc. 2:17), quem van Kasteel omisit, Lieberg autem attigit. Assentior huic scribenti illo loco manifestam brachylogiam occurtere; sed utram duarum rerum Lucas in narrando ut facile subaudiendam prætermiserit, usque dubito – id quod pastores primum in animo suo perceperunt an id, quod postea ceteris circumstantibus rettulerunt? Non solum hoc, sed etiam illud tam perspicuum iudicari potest, ut ad summam rerum intellegendam non necesse sit id in textu expressis verbis commemorare. In classica Græcitate verbum γνωρίζειν saepe idem significat atque *erkennen*. Theodiscum, sed lingua Novi Testamenti, ἡ κοινή διάλεκτος vocata, ab illa aliquantum differt. Prope ubique alibi in Novo Testamento idem verbum potius *bekannt machen* valet – quin etiam paulo ante in hoc ipso evangelio 2:15 ὁ ὁ κύριος ἐγνώρισεν ‘quod Dominus ostendit nobis’. Accedit, quod nonnulli codices in 2:17 non formam ἐγνώρισαν, sed διεγνώρισαν habent. Cum verbum compositum διαγνωρίζειν nusquam *erkennen*, sed ubique *bekannt machen* significare videatur, surgit quæstio, cur hæ duæ lectiones in diversis codicibus velut inter se certent. Forsitan quispiam hunc locum aliter atque Hieronymus interpretatus, dum textum exscribit, ambiguitatis tollendæ causa verbum compositum originali verbo simplici substituerit?

Hæc argumenta efficiunt, ut mihi non pro certo persuadere possim Hieronymum verba originalia recte intellexisse posterioresque translatores parum exacte interpretatos esse, sed litem velut sub iudice relinquant. Maxime naturalis quidem et ad contextum exigie conveniens Hieronymi mihi interpretatio videtur, atque in iis, quæ Lieberg de vocabulo Græco ὄντα disserit, scilicet eo hic potius *rem* quam *verbum* designari, ei plane assentior: exactius Hieronymum textum Græcum Latine redditum fuisse, si *de re quæ dicta erat pro de verbo quod dictum erat* scripsisset.

Huius loci recta interpretatio tamen nonnisi philologicum est problema ac multo minoris ponderis quam illæ aliæ, quas examinavi, elocutiones. In iis interpretandis hactenus nimia fuisse videor ingenuitate. Fateor mihi numquam in mentem venisse verba Evangelii Nataliciorum παντὶ τῷ λαῷ (Luc. 2:10) non ad totum genus humanum referri, sed tantummodo ad populum Hebraicum, qui, ut ait van Kasteel, sit «populus elec-

tus, populus iustorum, certe non plebs vulgaris!» Nimirum scio Iudæos se populum Deo ceteris cariorem existimare, sed facere non possum, quin mirer eius rei obliquam mentionem necessario in Evangelio Natalicio fieri debuisse. Cum tamen ita factum esse videatur – neque enim ea, quæ præstantissimus philologus B. Prete demonstravit, in dubium vocare audeo –, quærendum est, nonne elocutione ambigua ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας (Luc. 2:14) oblique imprimis Iudæi designentur. Inter hos solos esse homines «bonæ voluntatis», qui favore Dei gaudent, an etiam extra Iudæorum numerum eos reperi, qui «voluntate atque actis saluti adipiscendæ» satis operæ dederint? Reliquis autem, ut qui malæ voluntatis sint sive Deo displiceant, videlicet intra lineas eleganter dici: «Vós omnès procul hinc, procul hinc estóte, profáni!» (cf. Verg. Aen. VI 258)?

Christus ipse in iis, quæ discipulos suos docet, sine dubio totum genus humanum complecti vult; e.g. in Evangelio secundum Matthæum (24:4) dicit: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus et in fine eiusdem Evangelii (28:18-19) euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, itidemque in Evangelio secundum Marcum (16:15): *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Addit tamen conditionem marginalem: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Idem in alio fragmento Evangelii secundum Matthæum hominibus etiam graviora ministratur (10:32-38): *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suum, et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*. Num clarius, quicumque proximum suum plus quam Deum amare aut in quælibet alia numina credere audet, ab æterna salute excludi possit?

Auctores Bibliorum Sacrorum opus ænigmaticum creaverunt – peculiarem quandam mixturam amoris et asperæ discriminationis horribiliumque poenarum. Haud falso van Kasteel scripsisse videtur Deum non esse democraticum neque omnibus æquum. Evidem confiteor me quoque in cogitationibus meis Patrem Nostrum Cælestem, si forte existat, saepe nimis exiguae æqualitatis et iustitiæ accusavisse. Quæ cum ita sint, liceat mihi hanc commentationem pio desiderio concludere: utinam nos homines – et pagani et Christiani – aliquando assuesceremus etiam dissidentes iuste tractare! ☩



# *In hoc fasciculo !*

- Insula Latina Neolovaniensis [I. Claeys-Bouúaert, M. & O. Dapsens] p. 1*  
*Dialogus Mercurii et Catonis [D. Blanchard] p. 3*  
*De Mario Vargas Llosa, litterarum auctore præmium Nobelianum adepto [Th. Sacré] p. 4*  
*De Mario Vargas Llosa [F. Deraedt] p. 5*  
*De mysterio œconomico [T. Nevanlinna - S. Jansson] p. 6*  
« *Infremuere ollæ gemitumque dedere patellæ* » : *de catto supplicio affecto carmen iocosum* [Th. Sacré] p. 7  
*De Romano imperio orientali (xv) [G. Licoppe] p. 11*  
*Nicolai Klimii iter subterraneum (VIII) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 15*  
*Biblia sacra – opus œnigmaticum [E. Palmén] p. 16*

*Imago tegumenti : Berthe Morisot (1841-1895), 'Portrait de Julie Manet au chat'*  
*J. Raabe, Bibliothèque illustrée du chat, Paris, Éditions de la Courtille, 1977.*

---

## LATINE LOQVI...

### AMBVLATIO CIRCA VIAM EGNATIAM

Melissæ sextum iter Latinum, 16-23 m. Septembris 2011.

¶ <http://web.me.com/fundatiomelissa> > Futurum iter Latinum

### CONVENTICVLA PROF. TERENTII TVNBERG

Dickinsoniæ in civitate Pennsylvania, d. 5-11 m. Iulii 2011.

Lexintoniæ in civitate Kentukia, d. 21-29 m. Iulii 2011.

¶ [terence.tunberg@gmail.com](mailto:terence.tunberg@gmail.com)

### CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Aquis Albis, d. 2-8 m. Iulii 2011 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.

¶ <http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 20-27 m. Iulii 2011.

¶ [www.frigolet.com](http://www.frigolet.com)

### LECTIONES LINGVÆ LATINÆ VIVÆ

Romæ in Universitate Sanctæ Crucis, 4-30 m. Iulii 2011.

¶ <http://www.pusc.it/lingue/latinofr.html>

### L.V.P.Ae SEMINARIVM OPOLIENSE

1-7 m. Augusti 2011. ¶ [barbara.dowlasz@chello.at](mailto:barbara.dowlasz@chello.at)

### S.A.L.V.I.

Rusticatio Virginiana, 9-16 m. Iulii 2011. ¶ <http://www.latin.org>

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminarium Ottiliense 18-23 m. Iulii, Trevericum 7-13 Aug. 2011.

¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de>

### SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 30 m. Iulii - 6 Aug. 2011.

¶ <http://www.septimanalatina.org>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

